

bilitarem alteri cuidam Creditorum sub minori,
quam ipsemet sua ex parte offert, pretio obti-
gisse, integrum illi esto, contra eundem ad su-
perinscriptionem procedere, quo casu consti-
tutus in possessorio Creditor, aut bonum Actori,
sub majori illa, quam offert, summa, cedere,
aut id, in quo oblata summa eam, sub qua fundo
potitus est, excedit, Actori numerare tenetur:
salvo creditori in possessione constituto jure,
quoad meliorationes in fundum factas, indem-
nisationem quoque, atque solutionem petendi.

C A P U T X.*De Processu Rationario.*

§. 126.

Domiñis facultas est ab Officialibus suis
rationes exigendi, siue subversetur peri-
culum, una petendi, ut res eorundem mo-
biles in sequestrum judiciale suvantur.

§. 127

§. 127.

Exhibitis rationibus dominium officiali convictionem scripto extradare tenetur, quæ tamen vim sententiæ tunc tantum obtinet, cum officialis intra terminum trium mensium coram judice nullam querelam movet.

§. 128.

Si cui rationes Accepti, et Expensi exhibitæ fuerint, ei ad postulationem exhibentis injungendum est, ut rationes vel approbet, vel defectus earum accuset; hunc ad effectum judex eidem terminum ad circumstantias accommodatum, utraque parte prius audita, præstituat: idem juris est, si officialis convictionem sibi a dominio extraditam minus justam esse prætenderet.

§. 129.

Si usque ad lapsum termini præfiniti defectus accusati non fuerint, rationes approbatæ censentur.

§. 130.

Singuli defectus separate progradientibus numeris explicandi, simulque causæ, a qui-
hus

bus originem habeant, accurate, et singillatim indicandæ sunt.

§. 131.

Super objectis Defectibus explanationes, super his ulteriores objectiones, ac denique ultimæ explanationes porrígendæ sunt. Pro explanatione termini exceptionis pro ulterioribus objectionibus termini replicæ, denique pro ultimis explanationibus termini duplicæ præfigendi sunt, sicque processus rationarius semper scripto deducendus est.

C A P U T XI.*De Probationibus.*

§. 132.

Qui sive Actor, sive Reus factum adduxerit, illud probare tenetur: secus in causæ decisione, quatenus Adversarius eidem contradixerit, verum habendum non est.

§. 133.

Præsumtiones, quibus Lex vim specialem non attribuit, probationem conficiunt.

Proc. Jud. Transilv. E

§. 134.